



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum X. Mandato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

- 1** Notandum primò. Nemo præter Papam certæ personæ expectativam, seu jus dare potest ad beneficium vacaturum. *c. 2. & 3. de concessione præbendæ. c. 2. eodem in 6.* Potest tamen Legatus à latere spectato communi Canonico Jure certum beneficium suæ collationi reservare. *c. præfenti. 3. de officio Legati in 6. o. cum dilectus 28. de jure Patronatûs.* Et docui *lib. 4. tract. 2. c. 10. n. 2.* Vide etiam, quæ dixi in *c. reclarum 9. casu 3. hoc tit.*
- 2** Notandum secundò. Si Papa dispositionem inferioris ob defectum potestatis invalidam, ex certa scientia, Apostolicâ auctoritate confirmet, tunc dispositionem ad se revocare, seu suæ Papalis auctoritatis, ac vigoris facere, censetur.
- 3** Notandum tertio. Inter receptos in Canonicos auctoritate Papali in allocutione præbendæ locus est juris regulæ *54. in 6.* Qui prior est tempore, is potior jure: sed prioritas hæc temporis attendi debet secundum tempus impetrationis, seu datæ, non à tempore præsentationis, sicuti dictum in *c. cum, cui 7. hoc lib. & tit. & tradit Gloss. hic in notandis Gloss. in c. quamvis 8. de rescriptis in 6.* Vide, quæ dicuntur in *c. hi qui 12. hoc tit.* In his autem non multum immorari necesse est, cum tales expectativæ, & reservationes in Germania, & Gallia, propter concordata, non recipiantur, prout notavit *Cokier in Reg. 1. Cancellaria. n. 22.*

CAPITULUM X.

Mandato.

PARAPHRASIS.

Si Papa Episcopo v. g. mandârit, ut Titio provideat de beneficio ad ipsius Episcopi, vel alterius v. g. Coepiscopi, collationem pertinente, debet ipse providere beneficium id, quod primò vacârît, sive ad suam, sive ad Coepiscopi pertineat collationem; sin autem contingat, utrumque simul vacare, tunc Episcopus debet providere de beneficio, quod suæ collationis est, idque propter ordinem

Scripturæ, seu Ballæ Pontificiæ, in qua Episcopus præponitur Coepiscopo.

SUMMARIUM.

1. In dispositionibus, quibus onus aut commodum imponitur, inspicitur debet ordo nominationis, ut prius nominatus alteri anteponatur.
2. Ita ut ex ordine Scripturæ dignior etiam censetur, qui priore loco nominatur, & colligatur major effectus charitatis erga primum, quam erga posterius nominatos.
3. Nisi ordo juris, qui magis attendi debet, quam ordo Scripturæ, aliud jubeat.
4. Aut servato Scripturæ ordine alius nullus redderetur.
5. Et nisi conjecturis insuper habitis, de intentione disponentis aliter constet.
6. Unde argumentum hoc ab ordine Scripturæ desumptum lubricum est.

Notandum. In dispositionibus, quibus onus imponitur vel præmium, commodum, aut honor deferitur, inspicitur debet ordo nominationis, ut, qui prius nominatus fuit, alteri anteponatur. Ita *Domin. & Anchoran. hic Gl. in L. Gallus. 29. ff. quidam ff. de liberis & posthumis. Bald. in L. 1. n. 17. c. de operis libertorum. Nicolaus Eberhard, loco primo ab Ordine.* Exempli causa si testator jubeat Titiam vel Cajam dotari ad nuptias celebrandas, intelligitur Titiam prætulisse, & tantum in defectum ejus, si videlicet nubere noluerit, vel non potuerit, Cajam substituisse; & idem quandoque locum habet in copulativa *Et* consideratâ tamen conditione materis subjæctæ, prout *Bald. cit. loco* notat; si quis reditum annuum emat, vel emphyteusim pro se & filio, quod ante mortem patris filius nihil percipere debeat: nam univèrsim loquendo, ordo Scripturæ ostendit ordinem voluntatis. *L. generaliter §. quod ergo ff. de fideicommissarijs libertatibus. l. quoties 34. ff. de usufructu.* Ubi dicitur: si Titio & Mævio usufructus legatus sit, ita ut alternis annis utantur, prius Titio, deinde Mævio legatum esse, ita ut

in secundo anno fructus percipere debeat. Simile est, si testator duos equos habeat, quos loget Sejo & Sempronio, ita ut singulis unus dandus sit, pretiosiores, seu potius electionem inter duos equos spectare ad Sejum, prius nominatum, sicuti tradunt DD. apud Eberhardum n. 7.

Præterea ex ordine Scripturæ inducitur ordo Prælationis, ut is dignior censeatur, qui prius nominatus fuit, ut videre est apud Tuscum con. 196. V. Ordo, Eberhard. loco 1. n. 6. Ubi exemplum dat de tribus nominatis tanquam idoneis ad dignitatem, eum, qui primo loco nominatur, alijs digniorem censerit. Ostenditur etiam ex ordine dispositionis seu scripturæ major charitatis affectus erga eum, qui prius à testatore vel donatore nominatus fuit, ut in supra posito exemplo de duobus equis, & tradit Bald. in cit. L. quoriam, argum. cit. L. Galus §. quidam Tuscus. n. 8. Item ex ordine Scripturæ, v. g. factæ delegationis, colligitur ordo processus, videlicet quid prius, & quid posterius actum, vel agendum sit, juxta C. cum dilecta 22. de scriptis, & tradit Barthol. in constitut. 1. codicis n. 17. atque ita communiter concludunt DD. cum Gloss. in c. in Christo 82. v. cur gradum distinct. 2. de consecrat. quod ordo multum operetur, seu validum sit argumentum ab ordine Scripturæ ductum, prout loquitur Nicol. Eberhard. in not. Volumine 1. consil. 63. n. 9.

Sed limitari debet primò, quod ordo juris magis attendi debet, quam ordo Scripturæ, adeo ut præposterus ordo Scripturæ reducendus sit ad ordinem juris, & intellectus; v. g. si actor petat, reum cogi, & condemnari ad solvendum, tolerari potest libellus, quia ordo juris, & rationis præponderare debet, juxta quem notum est, prius esse reum condemnandum, postea cogendum ad executionem L. 1. C. de executione rei judicata. Quæ doctrina sumitur ex L. præposteris 25. C. de testamentis & tradit Bald. in L. conventiculam C. de Episcopis, Tuscus n. 35.

Secundò. Si actus nullus redderetur, positò, quòd eo modo videlicet prius gestus fuisset, sicuti in dispositione reperitur, tunc benignius explicari debet, tanquam subsecutus, ut subsistere possit, v. g. si in instrumento scriptum sit, quòd pater filio donationem fecerit, postea autem scriptum sit, quòd eum emanciparit, intelligere debemus, emancipationem antecessisse, cum alioquin donatio filio non emancipato facta subsistere non possit L. 2. C. de inofficiosa donatione & docent D. D. in L. cum in testamento 37. §. 1. ff. de heredibus instituendis, Decius in c. quoniam. Abb. n. 5. de officio delegati.

Tertiò. Tales conjecturæ ex ordine Scripturæ desumptæ procedunt in casu dubio: sin autem constet, aut ex alijs vehementioribus conjecturis præsumi possit de voluntate disponentis, tunc habenda non est ratio ordinis Scripturæ c. autoritate 7. de concessione præbende in 6. & tradit hic Ancharan. in fine cap.

Denique monendi sumus, lubricum esse argumentum ab ordine desumptum, atque ex objecta materia, aliisque adjunctis æstimandum, ne errori locus sit, unde Dominicus ab Archidiacono dixit in fine hujus c. quòd ordo Scripturæ regulariter attendi non debet.

CAPITULUM XI.

Si Clericus.

PARAPHRASIS.

Titius Clericus à Sede Apostolica literas impetravit ad quandam executores, cui mandabatur, ut dicto Clerico præbendam proximè vacaturam conferret, & postea in Canonicum recipi faceret. Verùm cum præbendam vacare contingeret, Clericus eam tanquam sibi debitam petere neglexit, hoc casu ait Bonifacius, non posse dictum Clericum aliam postea præbendam, si quæ in eadem Ecclesia vacaverit, virtute ejus Apostolici mandati